

1863

C O D I C E S

1864

Autoris damnati? Accedit Sermo de S. Antonio, quem vix Augustiniano prae Franciscano adscribas. — His ita mecum expensis venit in mentem *Quadragesimalis Jacobi de Voragine*, de quo ipse ita in *Chronica sua Januensi*: *Fecit et sermones de omnibus evangelis, quae singulis feriis in quadragesima leguntur — usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio &c.* Consulo Editiones, et ipsissimum *Quadragesimale* nostrum deprehendo, quod cum imperitus F. *Nicolaus Michaeli* cuidam inscripisset, peritior *Revisor* inscriptioni lineam induxit, quin tamen Autoris genuini nomen reponeret. Atque haec non raro conjecturarum nostrarum fors est. Ceterum Codex in Bohemia exaratus videtur e voce *Mutba*, vulgo *Maut*, quo nomine duo sunt ibidem Oppida. Pro *Mutba* etiam *Mita*, quin et *Mutina* occurrit, quod fortasse Diminutivum est.

## DCCLXXV.

U. 576 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. per duas columnas luculente perscriptus, rubro distinctus, et quondam *M. Johannis Drossinger*, ita inscribitur: *Incipiunt sermones quadragesimales compilati per fratrum Jacobum de uaragine archiepiscopum Januensem.* Vir hic maxime notus a congestitis SS. *Vitis*, seu *Legenda*, quae successu temporis *Aurea* et *Lombardica* dicta, in plures lin-

guas versa, et ab inventa Typographia multoties excusa fuit, ortu *Ligur* ab oppido patrio *Varagio*, *Varaze*, *Viraze* corrupte faepius adpellatus *de Voragine*, ex Ordine Praed. adsumtus ad *Januenses* infulas obiit a. 1298. Igitur Codex noster ejus tempora prope contingit. De eo ipsemet ita in *Chronico suo Januensi*: *Fecit et sermones de omnibus evangelis, quae in singulis feriis in quadragesima leguntur, scilicet a quarta feria cinerum usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio.* Addam: et finit: *et beati dominici patris nostri ipse filius dei nos perducatur qui cum patre et spiritu sancto per infinita secula regnat Amen.* Editiones hujus *Quadragesimalis* et alia ad Autorem pertinentia praesto sunt in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 454.*

## DCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3151 XIV. Folior. nunc 92. 4. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus a diversis, rubro distinctus et olim *Monasterij S. dorothae in Vienna* compilatus est e sequentibus: I. *Sermo Wilbelmi in aduentu primus.* Incipit: *Dies autem appropinquavit &c. Dies iste spiritualiter potest intelligi dies natalis domini &c.* Est igitur Series Sermonum in Epistolas Dominicarum per annum *Guilielmi*, quem Germani passim *Wilhelmum* scribunt, non *Alverni* sive *Ep. Parisien-*

1865

H O M I L E T I C I.

1866

*fiensis*, ut quidam voluere, sed *Peraldi* ex O. P. ut e pluribus Mfs. et Editionibus evincunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 133. Abrumpuntur haec Excerpta Sermonum potius, quam Sermones fol. 52. p. 2. in Themate: *Ferunt ligna, ut ungerent super se regem. Jud. IX. 8.*

II. fol. 53. *Incipit speculum gloriose virginis Marie.* Ita quidem: *Quoniam ut ait beatus Hieronimus nulli dubium est quin totum ad laudem dei pertineat &c.* Jam alias hoc Volumine relatum, ut Index docet; hoc Bonaventurae Opusculum.

III. fol. 89. Tractatus succedit, qui in anteriore Codicis Theca notatur: *Sermo optimus de libro conscientiae.* Ejus initium est: *Spiritus sanctus per Job. Librum scribas mihi ipse qui iudicas. Rogemus dominum in principio &c.* Hic possumus multa notari bona que sequuntur. et primo quis sit liber quem petit a domino. quia liber conscientiae. et petit job librum ut studeat in ipso ad modum boni scholaris. quia si scholaris uellet licentiarum in aliqua facultate, libenter peteret librum, in quo crederet prescisci, que deberet examinari, si posset habere. Ex hac similitudine facile Scriptoris ignoti aevum conjicimus, qui, postquam de conditione Libri Conscientiae egit, pertractat, ubi debeat legi, mox, quomodo debeat audiri. At vero hic abrumpitur Codex et Opusculum, quod methodum de peccatis rite confitendi tradit.

DCCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3024 XV. Folior. nunc 127. f. per duas columnas caractere crasso, atro perscriptus, rubricis enotatus, et quondam *monasterij sancte Dorothee in vienna* complectitur *Sermones de Tempore* a Die Paschatis usque ad Dominicam XXIV. post Pentec. hoc initio: *Alleluia. Dicit G. Qui ad uere predicationis uerba se preparat, necesse est, ut eorum originem a sacris paginis sumat &c.* Ad calcem: *Expliciunt sermones. Contestor omnes hos sermones predicantes per uirtutem domini nostri ihesu, ut finitis singulis sermonibus auditorum me orationibus recommendent tacito tamen nomine, quatenus negligentiae huius occasione contracte eorum orationibus interuenientibus a deo mihi misericorditer relaxentur.* Tum Librarius: *Opere finito promatur gloria christo. Explicit opus. De tempore, et super fundum rasum: fratris Johannis Socci ordinis beati benedicti.* Istud quidem contra primarum Editionum *ἀποκων*, et *Daventriens.* 1480. *Argentiniensisque* 1484. fidem, quae magno consensu Autorem *Cisterciensem* faciunt, et quidem incolas *Coenobii Marienraid prope Hildensem*, contradicente *Job. Tritheimio*, qui eum *Monasterio Fontis Salutis (Heilbrun)* dat, et *Conradum* adpellat in *Script. germ. illustr.* Nominis *Socci*, vel *Succi* ibidem rationem dat, e quo *Soccium* fecit *Car. Vischius* in *Biblioth. Cist.* Nihil definitio, illud observare contentus, nullo